

Cvrvrv In Historiam Textvs Graeci Epistolarvm Pavli Specimen I.

**Spec. 1, P. 2 : / Cvivs Partem Posteriozem Rectore Academiae ... Domino Carolo Avgvsto Dvca Saxoniae Ivliaci Cliviae Montivm Angariae Gvestphaliae Rel. Consentiente Venerando Theologorvm Ordine Pro Loco In Eodem Ordine Rite Obtinendo Ad Diem XIII. Febrvarii ... MDCCLXXVII. Pvblice Disceptandam Proponit Ioannes Iacobvs Griesbach Theologiae Doctor Eivsdemqve Professor Pvbl. Ordin. Et Soc. Acad. Princ. Hass. Sodalıs.**


Ienae: Fickelscherrius, 1777

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299336>

Band (Druck) Freier  Zugang










~~X 8 X~~


F. c. - 1046.

F. c. - 1046.











CVRARVM  
IN HISTORIAM TEXTVS GRAECI  
EPISTOLARVM PAVLINARVM  
SPECIMEN I.

---

CVIVS  
PARTEM POSTERIOREM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
GVESTPHALIAE REL.

CONSENTIENTE VENERANDO THEOLOGORVM ORDINE

PRO LOCO  
IN EODEM ORDINE  
RITE OBTINENDO

AD DIEM XIII. FEBRVARII A. S. R. MDCCLXXVII.

PVBlice DISCEPTANDAM PROPONIT

IOANNES IACOBVS GRIESBACH

THEOLOGIAE DOCTOR EIVSDEMQUE PROFESSOR PVBL. ORDIN.  
ET SOC. ACAD. PRINC. HASS. SODALIS.

---

IENAE  
TYPIS FICKELSCHERRII.







SECTIO III.  
OBSERVATIONES  
SVPER FATIS  
TEXTVS EPISTOLARVM GRAECI

INDE AB EDITO ΑΠΟΣΤΟΛΩ;

AD QVINTVM VSQVE SECVLVM.

§. I.

**T**extus epistolarum paulinarum graeci fata, inde ab edito ἀποστολῶν vsque ad Euthalianam editionem Sec. V. strictim tantum persequemur. Egregia multa, quae huc pertinent, collegit diligentissimus MILLIVS in prolegomenis suae Noui Test. editioni praefixis, praesertim §. 265 et 281 - 996. de variis haeticorum aduersus sacri textus integritatem molitionibus, irritis quidem illis, sed memoria tamen dignis; de codicibus Valentini, Marcionis, Heracleonis, Ptolemaei, Tatiani, Theodoti, Luciani, Hefychii, Manichaeorum etc. nec non de indole atque conditione eorum codicum, quibus vsi sunt scriptores catholici, et veteris latinae versionis interpretes; de exemplaribus Adamantii et Pierii, de antigraphis ab Eusebio et Athanasio, iussu imperatorum, procuratis etc. Habermus quidem non solum fatis multa, quae addere possemus Millianis, sed non deessent quoque in his emendanda atque corrigenda; verum, cum primas tantum historiae lineas describere hoc libello constitutum nobis sit, in aliud tempus (Sect. I. §. 10.) pleniorum harum rerum expositionem reseruamus. Interim proferre tamen hic placet obseruationes nonnullas, e quibus de historia illorum temporum, generatim spectata, praesertim vero de statu textus graeci seculo secundo et tertio, vtcunque iudicium ferre licebit; exempla

K

vero



vero adiciemus aut nulla aut pauca, ne nimia nobis succrescat dicendi materia.

## §. 2.

Ingens iam fuit hoc tempore, immo tertio seculo ineunte, codicum inter se discrepantia, et incredibilis paene lectionum variarum numerus. Nam vix vlla in codicibus hodie superstitibus occurrit aliquis momenti lectio, quin apud patres Euthalio antiquiores eadem deprehendatur, tametsi a Wetstenio caeterisque variarum lectionum collectoribus nulla patrum cum codicibus consentientium mentio facta sit. Post Theodoretum sane tempora longe pauciores quam antea enatae sunt, si aperta librorum sphalmata demas, lectiones discrepantes. Quae enim recentiores codices plerisque occupant, tantum non omnes apud Theodoretum iam habentur; quae vero in antiquioribus libris et versionibus reperiuntur, eae profecto illis iuniores non sunt. Igitur vniuersa fere lectionum variantium messis, quam Millius et Wetstenius in horrea sua condiderunt, secundo tertio et quarto seculo in herba iam erat. (conf. Sect. I. §. II. nr. 2.) Quin longe plures, quam nobis quidem innotuerunt, lectiones variantes inuaserant aevi istius codices. Colligitur hoc ex eo, quod a) in multis patrum allegationibus, quae fideliter e codicibus istius temporis transcriptae esse videntur, occurrunt lectiones, in nullo codice hodie superstitibus; b) quod saepe lectiones quaedam in multis, immo in plerisque codicibus extare disertis verbis testantur, quae vel in nullo vel in vnico tantum codice hodie apparent; vti etiam e contrario lectiones interdum laudant, tanquam in paucis tantum codicibus occurrentes, quae vniuersam librorum Mistorum nunc superstitum turbam inuaserunt; vnde codicum, quibus illi vti sunt, a nostris incredibilem fere differentiam perspiciamus; c) quod multae in codicibus omnium vetustissimis, praesertim occidenta-



occidentalibus, atque in versionibus antiquis extant lectiones, quae ortae esse non possunt nisi ex aliis lectionibus, nusquam hodie obuiis; d) quod genuina locorum quorundam lectio, in nullo codice iam superest, sed e pluribus libris inter se collatis elici debet, velut Rom. 6, 12. vbi verba a latinis quibusdam omissa *αὐτὴ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῆς* procul dubio delenda sunt, licet nullus codex graecus penitus ea omitat. Ab aliis libris abest quidem *αὐτὴ ἐν*, ab aliis vero *ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῆς*, sed vtrumque expungendum est. Praeter luculenta haec indicia militant etiam pro sententia nostra scriptorum veterum disertia testimonia. Sunt vero haec duplicis potissimum generis. Primum enim auctores ecclesiastici v. c. Origenes, aliique aetate huic vel aequales vel suppare, proferunt nonnunquam vnus eiusdemque loci lectiones duas aut tres, easque in codicibus repertas a se esse diserte narrant. Sic ad Matth. 8, 28. Origenes commemorat lectiones tres, *γερασσηνων*, (quae lectio, Origenis aevo, plerorumque erat codicum, hodie vero in vnico tantumprehenditur) *γαδαρηνων*, et *γεργεσηνων*; ad Hebr. 2, 9. duas, *χαριτι* et *χωρις*, quarum posterior non nisi in laceris vnus codicis fragmentis iam legitur; et sic alibi saepe. Deinde clarissimis verbis de ingenti codicum inter se discrepantia loquuntur auctores antiquissimi, v. c. ORIGENES *ad Matth. 19, 19. δὴλον ὅτι πολλὴ γεγενεὶ ἡ τῶν ἀντιγραφῶν διαφορὰ, εἴτε ἀπο βλαβῆς τινῶν γραφῶν, εἴτε ἀπο τολμῆς τινῶν μοχθηρῶν τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπο τῶν ταῖς αὐτοῖς δοκῶντα ἐν τῇ διορθώσει προσιδέντων ἢ ἀφαιρέντων.* Mitto alia aliorum testimonia cum hoc consentientia, et hoc solum addo, tantam et adeo notam atque apud omnes peruulgatam fuisse hanc codicum inter se dissonantiam, vt hanc excusationem suae coniecturas proferendi libidini publice atque audacter praetendere possent atque solerent, qui coniectando textum refingere vellent.



## §. 3.

Antiquissima illa lectionis varietas magna ex parte ortum suum debebat delicatulum quorundam hominum sedulitati, qui locos difficiles, obscuros, ambiguos, apparenter inter se pugnantes, a graecae linguae puritate et elegantia abhorrentes, emendare, et locutiones duriores aut graecis insolentes cum aliis facilioribus, planioribus et purioribus commutare ausi sunt. Testantur hoc, praeter Origenem l. c. permulta patrum antiquiorum loca, in quibus notantur homines, suis sacri textus interpolationibus διορθωσεως causam interponentes, et την της φρασεως τς αποστολης συνταξιν (vt Eusebii de Tatiano verbis H. E. 4, 29. vtar) emendare ac emaculare conantes. Conf. WETSTENII libellos criticos edit. halens. pag. 49. seqq. Fidem habendam esse hisce testimoniis, nec haereticos solos, sed orthodoxos etiam talem tentasse διορθωσιν, res ipsa loquitur. Quo enim codex quisque vetustior est, eo pluribus abundat lectionibus duris, difficilibus atque obscuris; quo contra est recentior, eo pauciores exhibet huius generis lectiones. Hinc quoque factum est, vt in locis admodum difficilibus e. gr. quinque aut sex lectiones diuersae sensim excogitarentur ab iis, qui διορθωσει sua textui succurrere vellent. Recte etiam WETSTENIVS l. c. p. 27. „lectiones, inquit, variantes tantum non omnes studio et „ingenio et coniecturis librariorum (et criticorum atque interpretum) „debentur; quae enim ex negligentia et incuria (ex oculorum aut „aurium errore) sunt ortae, vix centesimam earum partem consti- „tuunt.” Illustrari hoc potest luculento veteris translationis latinae exemplo, quae soloecismis et barbarismis innumeris primitus scatens, variis multorum studiis postea magis et magis expolita fuit. Nec est, cur latinos solos sibi tantum indulgisse, graecos autem religiosius codices suos tractasse existimemus. Scimus enim priscos latinos plerisque suis codicibus latinis tantum tribuisse, vt graecos libros oppido spernerent,



nerent, et suas lectiones contra graecorum omnium auctoritatem praefracste et mordicus defenderent, immo graecorum exemplaria deprauata esse clamitarent. Locupletem peruicaciae huius testem producere possum Hieronymum, quem diris conuiciis proscindere atque impietatis adeo accusare non dubitarunt latini, quod, aduersus auctoritatem veterum codicum latinorum, vetustam illam translationem, sub romani pontificis auspiciis, ad graecorum exemplarium fidem emendasset. Ipsemet quidem deprehendi, codices nonnullos, veterem latinam translationem exhibentes, recensitos et passim correctos esse ad libros graecos alios et iuniores, quam erant illi, e quibus primum versio haec facta fuerat. Brixianus certe codex apud BLANCHINIUM ad librum graecum iuniorem refectus est. Sed *plerique* librarii ac patres latini pertinaciter inhaerebant vetusti interpretis vestigiis, nec graecos codices conferre, aut suos ex his emendare curabant. Quin consensus codicum quorundam latinorum cum graecis, in locis nonnullis, vbi caeteri latini a graeco textu discedunt, aliunde commode explicari potest, nec opus est, vt ad nouam codicum horum cum textu graeco collationem statim confugiamus. Potuerunt enim lectiones hae, graeco textui consonae, in codices latinos irrepere, vel e scriptis auctorum graecorum e. gr. Origenis, in sermonem latinum translatis, vel e vulgata Hieronymi versione, vel ex aliarum translationum latinarum inter se commixtione. Videntur enim inde a secundo et tertio seculo plures extitisse translationes latinae, a diuersis auctoribus e diuersis codicibus graecis confectae. Harum vnam in codicibus Blanchinianis, veronensi, vercellensi etc. regnare quidem arbitror, sed ex aliis, qua partem maximam deperditis, saepissime interpolatam esse existimo. Plerasque igitur discrepantias, in vetustis illis codicibus latinis obuias, in ipsis his codicibus ortas et latinorum hominum sedulitati tribuendas esse statuo; id quod



ipfa etiam discrepantiarum harum natura atque indoles testatur. Quod si ita est, possumus omnino antiquissimam codicum graecorum interpolationem luculentissime e librorum latinorum in perpolienda versione latina sedulitate illustrare; quod adminiculum eo maioris faciendum est, quia ex antiquissimo illo tempore plures supersunt latini codices, quam graeci. Evolve itaque, si obscuram hanc partem historiae textus graeci penitus pernoscere cupis, BLANCHINII et SABATIERII volumina, aut saltem S. REU. SEMLERI appendicem ad WETSTENII *prolegomena*, et quod in latina translatione factum esse inuenies, id graeco etiam textui similiter accidisse scito; nisi quod latina versio, utpote multo magis quam graecus textus barbara atque obscura, saepius ab interpolatoribus tentata et longe pluribus in locis limata fuit. Exempla quaedam addere iuuabit, verum nec multa nec admodum selecta, sed quae vltro se mihi offerunt, versionem illam euoluenti; neque enim exquisitissimis hic nobis opus est. Igitur Matth. 1, 20 alii habent *quod in ea natum est*; al. *quod in ea natum fuerit*; al. *quod in ea nascetur*; al. *quod ex ea nascetur*. Matth. 3, 17. *in quo bene sensi*, al. *in quo bene placui*, s. *complacui*; al. *in quo bene mihi complacuit*. Luc. 15, 1. *erant appliciti illi*, al. *erant appropiantes*; al. *erant appropinquantes*; al. *erant accedentes ad eum*. Comm. 13. *et ibi substantiam finiuit*; al. *subst. consumpsit*; al. *subst. disparfit*; al. *subst. dissipauit*. Luc. 17, 33. *animam suam viuificare*; al. *animam liberare*; al. *saluam facere*. Luc. 8. 16. *Nemo lucernam accendit et ponit sub modio*; al. *nemo lucernam accensam ponit sub modium aut sub lectum*; al. *nemo lucernam accensam operiet illam vase* (al. *vasso*) *aut subtus lectum ponit*; al. *nemo lucernam accendens operit eam vase aut subtus lectum ponit*. Luc. 17, 24. *Sicut fulgur coruscans, sic erit filius hominis*; (al. *filius hominis in die sua*; al. *ita erit et aduentus filii hominis*) al. *sicut fulgur coruscans de sub coelo, ita*; al. *sicut fulgur, coruscans in his quae sub coelo sunt, fulget, ita*. al. *sicut fulgur, fulgurans de coelo, lucet in his* (al.



(al. *lucet his*) quae sub coelo sunt, ita; al. *sicut fulgur, coruscans de sub coelo in ea quae sub coelo sunt, fulget, ita.* Luc. 14, 28. Quis ex vestrum (al. *quis ex vobis; al. quis enim ex vobis*) volens turrem aedificare, non prius (al. *nonne prius*) sedens computavit impendia, (al. *computat sumtus qui necessarii sunt,*) si habet ad consummandum? (al. *si habeat quae opus sunt ad consummandam eam; al. si habet quae opus sunt ad perficiendum*) ne posito fundamento non valuerit consummare (al. *ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit consummare, al. explicare, al. perficere*) omnes qui vident (al. *videbant, al. viderint*) dicent etc. al. *incipiant irridere illum f. illudere ei, dicentes etc.* Accipe etiam additionum quaedam exempla. Luc. 8, 5. *Exiit qui seminat seminare;* al. *exiit qui seminat seminare agrum suum;* al. *exiit qui sem. seminare semen suum;* al. *exiit seminator seminare semen suum.* Comm. 12. *qui audiunt;* al. *qui audiunt verbum,* al. *qui audiunt verbum Dei.*

## §. 4.

Alia causa interpolati saepissime textus graeci posita fuit in glossis atque scholiis, codicum marginibus illitis, quae postea in ipsam contextam orationem immigrarunt. Scholiis instructa iam fuisse isto, de quo agimus, tempore exemplaria librorum Noui Testamenti, non est quod dubitemus. Hexaplorum certe marginem scholiis Origenianis fuisse onustum, docuerunt MONTEFALCONIVS in *praelimin. in Hexapla Origenis*, cap. I. §. 7. et S. Rev. ERNESTI in *Dissert. de Origene, interpretationis librorum S. S. grammaticae auctore*, §. 23. et 24. quam in *Opusculis suis philologicis criticis* recudi curavit Vir celeberrimus. Manifestum eius rei indicium habemus in subscriptione codicis Marechalliani apud MONTEFALCONIVM l. c. §. 5. Quod igitur in Veteri Test. factum est, id in Nouo Test. omissum non fuisse, perquam est credibile. Vestigia talium scholiorum, in ipsis Origenianis codicibus a me deprehensa, indicaui in mea de hisce  
codici-



codicibus Commentatione, §. 7. Confirmatur suspicio nostra per ea, quae Sect. II. §. 9. med. attulimus. Ac, si codices antiquissimos intento animo perlustramus, in quibus frequentes occurrunt lectiones, quae vix aliunde quam e margine in textum venisse videntur; ipsam quoque veterum scholiorum rationem ac indolem facili negotio perspicere possumus. Alia nimirum erant critica, alia exegetica. In *criticis* proponebantur tum coniecturae nonnullae, tum lectiones variae, ex aliis codicibus excerptae. A *coniecturis* non abhorruisse priscos illos christianorum doctores, tam e luculento Origenis exemplo, quam ex aliorum patrum locis, a WETSTENIO in *libellis criticis* p. 28. seqq. prolatis, patet. Quidni itaque emendationes eiusmodi coniecturales in latere codicis sui, scholiis instructi, indicasse putamus possessorem, cui haec coniectura probabilis videbatur? Equidem crediderim discipulos Origenis diligenter in codicum suorum oris notasse coniecturas, a praeceptore suo in medium prolatas. Atque occurrunt etiam in libris Mftis omnium antiquissimis, alexandrino, claromontano et aliis, lectiones haud paucae, quae mere esse videntur criticorum coniecturae. Has a librariis istis (qui saepe numero ne intelligebant quidem ea, quae scriberent) excogitatas esse, vero neutiquam est simile. Sed si extabant in ora codicis, quem describebat librarius, facillime in textum ipsum transponebantur. Deinde, extitisse quoque in exemplarium quorundam margine *lectiones variantes* ex aliis codicibus decerptas, colligitur non solum e locis illis, vbi duae lectiones in ipso orationis contextu inepte coniunctae leguntur, quarum alterutra tantum scribi debuerat; verum clarissime idem etiam constat e textu codicis cantabrigiensis Math. 26, 60. quem locum egregie illustravit Ven. SEMLERVS in *der hermeneutischen Vorbereitung*, Stück 3. pag. 108 seqq. Nempe in margine codicis cuiusdam, e quo postea descriptus fuit cantabrigiensis, notata erat lectio duplex, quam in codicibus diuersis repererat scholii huius



huius marginalis auctor. Altera sic habebat: *ὡπως αὐτον θανατωσωσι· και εἶχ εὔρον. ὑπερον δε etc.* omiffis scilicet post *εὔρον* verbis: *και πολλων ψευδομαρτυρων προσελθοντων.* Altera lectio erat haec: *θανατωσωσι· και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και εἶχ εὔρον. ὑπερον δε etc.* Hoc in margine deperditi illius codicis ita expressum fuisse videtur a scholiaste: *θανατωσωσι, και εἶχ εὔρον. το ἐξης - - και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και εἶχ εὔρον. το ἐξης.* Illud: *το ἐξης*, aequipollet nostro *etc.* siue *seqq.* siue *rel.* atque indicat, post verbum *εὔρον* in codicibus illis, a scholiaste collatis, sequi porro *ὑπερον δε*, eodem modo, quo haec verba legantur in hoc ipso codice, cuius margini scholion hoc illinebatur. Hoc igitur scholion, a librario, qui codicem cantabrigiensem exaravit, ex ora in contextum ipsum illatum est, ne excepto quidem duplici illo *το ἐξης*. Ita enim codex cantabrigiensis: *θανατωσωσι και εἶχ εὔρον το ἐξης. και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και εἶχ εὔρον το ἐξης. ὑπερον δε etc.* Haud puto fore quemquam, qui scholion criticum in textum h. l. insertum esse negare audeat. Quam vero mature factum id sit, antiquissimus docet codex vercellensis. Hic enim cum legat: *non inuenerunt exitum rei*; satis clare demonstrat, diu ante scriptum hunc codicem in graecorum nonnullorum exemplarium textum scholion hoc intrusum iam fuisse \*).

## §. 5.

\*) Versio latina, codici cantabrigiensi adiecta, habet: *et non inuenerunt sequentia* (id est: *seqq.*) *et multi accefferunt falsi testes, et non inuenerunt rei sequentia.* Equidem conicio, pro *rei* legendum esse *reum*. Alii enim codices latini legunt: *et non inuenerunt culpam*, s. *non inuenerunt quidquam in eo*. Alii vero latini, qui obscuri illius *sequentia* sensum non affe-

quebantur, mutarunt illud, pro more suo §. 3. in *exitum*, quod clarius ipsis videbatur. Habent enim nonnulli: *et non inuenerunt exitum*. Alii denique, qui viderant codices, mendosum illud *rei sequentia* exhibentes, posuerunt pro *exitum*, ne exemplaribus suis aliquid deesset, *exitum rei*, sic: *et non inuenerunt exitum rei*.

L



## §. 5.

Quod ad *exegetica* attinet scholia, quibus codicum margines referti olim erant, ingens eorum copia in plerorumque codicum textu reperitur. Morem autem hunc, difficilioribus locis breuissimam adiungendi in latere codicis explicationem, primis iam seculis obtinuisse autumo. Eo nimirum tempore non laicis tantum, sed ipsis etiam clericis, maxime necessarium fuisse videtur hoc ad intelligendam scripturam subsidium, quo non solum pauca aut nulla existerent in libros sacros commentaria, verum etiam docendi muneri non raro praeponerentur *νεοφυτοι*, qui apostolorum usum loquendi nondum callerent, neque proprio Marte sacras litteras interpretari possent. Qui enim inde ab vnguiculis libros sacros versauerant, vel publice praelegi audierant, eorumque argumentum praecipuum ac dogmata christiana satis familiaria sibi reddiderant, hi facilius adminiculo hoc carere poterant. Solebant autem secundo iam seculo scripturae interpretationem aliis praeire presbyteri, qui e traditione apostolica sensum oraculorum apostolicorum optime intelligere putabantur. Pertinet huc locus IRENAEI, *libr. 4. cap. 26.* „Eis qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successionem charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt; reliquos vero qui absistunt a principali successionem, suspectos habere. — Vbi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem. — Hi enim — *scripturas sine periculo* (erroris aut haereseos) *nobis exponunt.* Et cap. 32. „Omnis sermo (Vet. et Noui Test.) ei constabit, si *scripturas diligenter legerit apud eos, qui in ecclesia sunt presbyteri*, apud quos est apostolica doctrina. Haec igitur expositio presbyterorum, quam maximi facere iuebantur christiani, multa scholia marginalia secundo et tertio seculo iam peperisse videtur. Quam vero proni fuerint librarii veteres ad transferenda in textum scholia, apparet ex HIERONYMI ea de re querela, in

*Epist.*



*Epist. ad Suniam et Fretelam*; vbi „miror, inquit, quomodo e latere annotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putauerit, quam nos pro eruditione legentis scripsimus. — Si quid pio studio ex latere additum est, non debet poni in corpore, Praeterea ex eadem epistola videre est, quam breui temporis spatio a scribis interpolarentur librorum, qui ante paucos demum annos in publicam lucem editi fuerant, exemplaria.

## §. 6.

Antiquitus multa codicibus Noui Test. inerant scribendi compendia, non solum notissima illa, in omnibus libris Mistis nunc superstitibus sexcenties recurrentia, v. c.  $\Theta\varsigma$ . pro  $\Theta\epsilon\omicron\varsigma$ ,  $\iota\varsigma$  pro  $\iota\eta\sigma\gamma\varsigma$ ,  $\acute{\alpha}\nu\omicron\varsigma$  pro  $\acute{\alpha}\nu\theta\rho\alpha\pi\omicron\varsigma$ ; sed alia etiam, minus obuia et explicatu difficiliora, e quibus iam inde a secundo et tertio seculo multae enatae sunt textus sacri deprauationes. Numeros quidem saepe litterarum notis olim expressos fuisse ex IRENAEI L. 5. cap. 30 et aliis scriptorum vetustissimorum locis bene monstrauit WETSTENIUS in *prolegom.* mox ab initio. Verum aliorum quoque minus tritorum scribendi compendiorum vsum antiquissimum prodit TERTULLIANVS, qui *de pudicitia* cap. 20. locum Hebr. 6, 5. ita affert, vt pro  $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\epsilon\iota\varsigma$   $\tau\epsilon$   $\mu\epsilon\lambda\lambda\omicron\nu\tau\omicron\varsigma$   $\acute{\alpha}\iota\omega\nu\omicron\varsigma$  excitet: *occidente iam aeuo.* Viderunt iam alii viri docti, ortam esse latinam hanc lectionem e graeco scribendi compendio perperam intellecto.\*) Inciderat nempe Tertullianus, aut si mauis auctor translationis latinae, qua utebatur Tertullianus, in codicem, vbi scriptum erat:  $\Delta\tau\eta\nu\alpha\iota\varsigma$   $\tau\epsilon\mu\epsilon\lambda\lambda\omicron\nu\tau\omicron\varsigma$ ,  
L 2 quod

\*) MILLII *prolegomena* §. 626. WETSTENII *prolegom.* edit. hal. in appendice p. 587. TERTULLIANI *opera* edit. hal. vol. 5. pag. 253. vbi simillimus librarii ex-

ror ex HARDVINI *collect. Concil.* vol. 5. p. 1187. profertur, mutata scilicet formula  $\upsilon\pi\epsilon\rho$   $\delta\upsilon\nu\alpha\mu\epsilon\iota\varsigma$  (quam latinus interpres recte vertit: *supra vires*) in  $\epsilon\pi\epsilon\rho$   $\delta\upsilon\omicron\upsilon\tau$ .



quod temere interpretabatur *δυναί ἐτι μελλοντας occidente iam*. Visum etiam est viris doctis nonnullis, falsam lectionem loci Io. I, 13. quam TERTULLIANVS *de carne Christi* cap. 19. non solum affert, verum etiam pertinacissime contra genuinam nostram defendit, similiter ex compendio quodam scribendi ortam esse. Codices quidem graeci omnes habent: *οἱ γὰρ ἐξ αἱμάτων - ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννηθησαν*. Recte omnino; loquitur enim Ioannes *de τοῖς πειρασμοῖς εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ*. Tertullianus autem falsam esse hanc lectionem contendit, eamque excogitatam esse vult a Valentinianis, haereticis pessimis, qui pluralem numerum ideo loco singularis ausu temerario posuerint, vt haberent, vnde errori suo, de arcano semine hominum spiritualium et electorum, fidem facerent. Contra vero legendum esse praecipit Tertullianus: *qui non ex sanguine - sed ex Deo natus est*; \*) intelligenda enim esse haec verba de Iesu Christo Domino nostro, qui prae aliis hominibus omnibus hac gauisus sit praerogatiua, vt non ex sanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nasceretur. Haud diffiteor, potuisse Tertullianum bona fide errare atque decipi compendio scribendi: QVI-NATIST (nati sunt) quod confundi facile poterat cum: QVI-NATEST. (natus est.) Attamen monstri aliquid hic subesse mihi omnino videtur. Quae res, cum ad illustrandam antiquissimam textus sacri historiam conducatur, atque planum faciat, quam religiose, scilicet, sanctissimi illi patres codices sacros tractauerint, enucleatius hic exponenda est.

## §. 7.

Igitur Tertullianum mala fide egisse, aut si honestiori vocabulo scelus velare fas est, pia fraude usum esse, ac contra codicis sui fidem et

\*) Editiones fere omnes, etiam hactenus nouissima, h. l. corruptae sunt. Vniuersus orationis contextus abunde docet, lectionem *natus est* defendi a Tertulliano; alteram vero *nati sunt* Valentinianorum corruptioni tribui.



et auctoritatem commentitiae huius lectionis patrocinium in se suscepisse, aio atque confirmo. Nempe hausit eam vnice ex Irenaeo, huiusque hominis auctoritatem omnibus latinis et graecis codicibus longe anteposuit, quoniam Irenaeo hoc lectionis figmento haereticos, in quos capitale conceperat odium, non refutare solum, verum etiam inuidiam eis, velut sacrarum litterarum adulteratoribus, conflare se posse sperabat. Nec est cur dubitemus, Tertullianum oblitterasse lectionem genuinam in suo codice, eiusque in locum substituisse alteram illam, quam vnice veram esse audacter pronunciauerat. E Tertulliana codice propagata postea est in alia exemplaria nonnulla, velut in veronensem librum, indeque etiam Ambrosio, Augustino, et aliis scriptoribus latinis innotuit. Sed age proferamus in medium accusationis nostrae causas atque rationes. Irenaeus carmine isto Ioanneo: *ex Deo natus est*; ter vsus est, atque de Salvatore nostro optimo id usurpauit; Libr. 3. cap. 16. §. 2. cap. 19. §. 2. et cap. 21. §. 5. Tota orationis series docet, non Irenaei latinum interpretem sed Irenaeum ipsum lectionis huius auctorem esse. Neque tamen crediderim, in codice Evangeliorum graeco, quo vsus est Irenaeus, lectum fuisse: *ὅς ἔκ τῆς ἀματαν- ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννηθῆναι*. Nam a) in nullo codice graeco, nec in vlllo patre graeco, lectionis huius vestigium apparet. Quod enim codex cantabrigiensis graecus et vercellensis latinus omittunt *ὅς* in commatis initio, id ad causam nostram non pertinere arbitror; sed excidit illud *ὅς* propter duplex *ου*, antecedens et consequens: *ΑΥΤΟΤΟΙΟΥΤΕΣ*. Si vero in graeco Irenaei codice evangelico extitisset *ὅς ἐγεννηθῆναι*, quod profecto e sola librarii incuria non facile potuit cum *ὅς ἐγεννηθησαν* commutari; adscribenda esset haec lectio piae fraudi h. e. nefariae temeritati catholici cuiusdam, qui haereticis opinatum hoc dogmatis sui praesidium eripere voluisset. Ego vero Irenaei codicem cum caeteris omnibus consensisse libris graecis statuere malim. Nam b) nunquam Ire-



naeus locum Ioannis diferte atque plene excitat, sed alludit tantum ad dictum apostoli, cuius verbis in suam rem, et vt *sui animi cogitata* exprimat, vtitur. Sciens atque volens, ea, quae de filiis Dei generatim dicta erant, ad Christum transfert. Quod vt clarius pateat, ipsa Irenaei verba adiiciam. Cap. 16. „Potuerat dicere Matthaenus: *Iesu* vero generatio sic erat, sed praeuidens spiritus S. deprauatores — per Matthaenum ait: *Christi* autem generatio sic erat \*); et: quoniam hic est Emmanuel; ne forte tantum eum hominem putaremus (non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed *ex voluntate Dei Verbum caro factum est*,) neque alium quidem Iesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed vnum et eundem sciremus esse, Cap. 19 „Generationem eius quis enarrabit? — Cognoscit autem illum is, cui Pater, qui est in coelis, reuelauit, vt intelligat, quoniam *is qui* non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri *natus est filius hominis*, hic est Christus filius Dei viui, Tandem cap. 21. „De fructu ventris eius regem promisit, quod erat proprium virginis praegnantis; et non de fructu lumborum eius, nec de fructu renum eius, quod est proprium viri generantis et mulieris ex viro conceptionem facientis. Circumscripsit igitur genitalia viri in promissione scriptura; immo vero nec commemoratur, quoniam ex voluntate viri erat, *qui nascebatur*. Statuit autem et confirmauit fructum ventris etc., Planum, nisi fallor, ex his est, Irenaeum indulgere tantum ingenio suo in accommodandis phrasibus apostoli ad rem aliam, quam commode hisce formulis describi posse putabat. Atque ex his Irenaei locis exsculpisse lectionem suam Tertullianum autumo, sequentibus permotus rationibus: 1) Contra eosdem Valentinianos, quos hic adulteratae scripturae insinulat,

\*) Nempe Matth. 1, 18 Irenaeus non legat: *de ηειρα*, vt Itala, Vulgata, et patres bat: *τα δε ινα ηειρα*, sed simpliciter: *τα* nonnulli tam graeci quam latini.



mulat, alibi etiam prouocat ad Irenaeum suum, quem omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem nuncupat; *Aduers. Valentin. cap. 5.*

2) Alia quoque haud pauca ex Irenaei scriptis in suos libros transtulit. Conf. *Operum TERTULLIANI tomum halensem 5. pag. 300* seqq. 3) Eadem prorsus, licet inusitata, verborum iunctura vititur Tertullianus pag. hal. 386. quam ex Irenaei cap. 16. modo attulimus. „Singulariter, ait Tertullianus, de Domino scriptum est: et ex Deo natus est. Merito, quia verbum Dei, et cum verbo Dei spiritus, et in spiritu Dei virtus, et quicquid Dei est Christus. Qua caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis et viri voluntate, quia *ex Dei voluntate verbum caro factum est.* Quis vtrumque casu delapsum eo esse credat, vt duas Ioannis sententias: *ex voluntate Dei natus est; ac: Et verbum caro factum est;* similime ita coniungeret: *ex voluntate Dei verbum caro factum est?* 4) Formulam: *verbum Dei,* quam scriptura ignorat, quippe quae nunquam dicit *ὁ λόγος ἦν τὸ θεὸν*, sed *θεὸς ἦν ὁ λόγος*: hanc igitur formulam, quam Tertullianum vsurpare modo vidimus, Irenaeus non solum adhibet aliquoties primo illo loco cap. 16. sed eandem etiam frequentat cap. 19. §. 1. vbi mox §. 2. sequitur: *non ex voluntate viri natus est filius hominis.* 5) A loco Ioanneo statim transit Tertullianus cap. 20 ad dictum Matthaei cap. 1. 20. *quod in ea natum est, de Spiritu S. natum est.* Sed de eodem hoc loco disputauerat quoque Irenaeus in eodem capite 16. immo eodem paragrapho, quo illud Ioannis effatum ad Christi natiuitatem accommodauerat. Expostulat autem Tertullianus cum Valentinianis, quod premant vocabulum *in;* *quod in ea natum est;* atque concedant quidem, Iesum natum esse *in* Maria, *ex* ea autem natum esse negent. „Qualis, inquit, est tortuositas vestra, vt ipsam *ex* syllabam — auferre quaeratis?, Forfitan etiam hoc loco Valentinianos adulterasse scripturam clamatasset, nisi bonus ille Irenaeus ipse Matthaeum ita excitasset: *quod enim habet in utero, de spiritu S. est.* 6) Tertullianus cap. 19. ita ratiocinatur: „Oro

vos,



vos, si Dei spiritus (al. filius) non de vulua carnem participaturus descendit in vuluam, cur descendit in vuluam?, Simillime Irenaeus cap. 22. §. 2. „Superuacua est in Mariam descensio eius. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat fumere (ἐμελλε ληψεθαι) ab ea?, 7) Praecedit apud Tertullianum cap. 17. comparatio inter Mariam virginem et Euam, vt et inter terram virginem, e qua primus Adam factus fuit, et Mariam virginem, e qua natus est secundus Adam. Vtraque haec comparatio habetur etiam apud Irenaeum, eodem illo capite 19, quo locus Ioannis tertio allatus est, et capite proxime sequenti 20. — Ego quidem in tanto Tertulliani cum Irenaeo consensu dubitare non possum, quin illud: *qui ex Deo natus est*, aequè ex Irenaeo desumptum sit, quam reliqua, quae notauimus, omnia. Viderint iam Lectores, quid sentire deceat virum prudentem verique amantem, de istis hominibus, qui lectiones comminiscuntur ipsi, genuinas autem impiis haereticorum fraudibus audacter attribuunt. Neque hoc vnico tantum loco in excitandis iudicandisque lectionibus Tertullianus sequi videtur Irenaeum. Duo proferam loca, quae in eadem orationis serie, in qua Ioanneum illud dictum legitur, apud Irenaeum habentur. Capite 16. saepe laudato §. 8. Irenaeus locum 1 Io. 4. 3. sic excitat: *Omnis spiritus qui soluit Iesum, non est ex Deo.* Tertullianus *contr. Psychicos* cap. I. „Recusantur Montanus et Priscilla et Maximilla, non quod alium Deum praedicent, nec quod *Iesum Christum soluant*, sed etc. Ex Irenaeo hoc omnino desumptum videtur, qui, nescio quo inusitatiore scribendi compendio (Sect. 2. §. 15. nr. 1. d. coll. §. 9. nr. 1.) deceptus legit: *ὁ λυει*. Tertullianum enim in latino suo codice habuisse crediderim: *qui negat*, quomodo legunt Cyprianus, Ambrosius, Ambrosiaster, alii. Hinc *contr. Marc.* Libr. 5. cap. 16. vtramque lectionem, eam, quam in suo codice deprehendebat, atque illam, quam apud Irenaeum legerat, coniungit: *negantes Christum in carne venisse, et soluentes Iesum.* E Tertulliano haec lectio deinceps ad caeteros peruenit latinos.

Alter.



Alter, de quo diximus, locus occurrit apud Irenaeum libro eodem, cap. 13. vbi dictum paulinum Gal. 2. 5. absque negatione adducitur: *ad horam cessimus subiectioni*; quam lectionem (non omnino spernendam) magno conatu Tertullianus *contr. Marc.* libr. 5. cap. 3. defendit. Profert quidem (dubium, vtrum e Marcionis codice, ane potius e suo exemplari) locum, addita negatione: *nec ad horam cessimus*; sed mox addit: „intendamus et sensui ipsi, et causae eius, et apparebit *vitiatio scripturae.*„ Cum vero neque ad graecos neque ad latinos alios codices pro-uocet, sed anxie *interna* conquirat argumenta, quibus particulam *nec* eliminandam esse vincat; probabile est, in ipso Tertulliani codice aliisque africanis libris extitisse hoc *nec*. Alibi sane, vbi Marcionem textum corrupisse narrat, corruptelam simpliciter indicat, nec argumentis eam impugnat. Sed sedula haec refutatio innuere omnino videtur, alios fuisse, praeter Marcionis codicem, libros, qui negationem haberent. Quoniam vero apud Irenaeum *to nec* omissum viderat, atque haec lectio Marcioni magis obstabat quam altera, quae negationem retinebat: Irenaei auctoritatem codicibus praeferendam esse duxit. Nisi vero praeiussisset ipsi Irenaeus, vix tam audacter, contra libros Mstos, impugnasset negantem illam particulam. Huius vero viri auctoritas instar omnium ipsi erat codicum.

## §. 8.

Ex istis Tertulliani cum Marcione et Valentino velitationibus luculenter patet, catholicos hoc seculo aequae ac sequentibus temporibus nimio plus indulgisse suis de corrupto per haereticos sacrorum librorum textu suspicionibus. Lectio illa Io. 1. 13. quam Valentini fraudibus attribuit Tertullianus, prorsus genuina est. Altera vero Gal. 2. 5. quam Marcioni haud obscure adscribit, in omnibus editionibus nostris hodie habetur, et, nisi sincera sit, certe tamen codicum et ver-

M

sionum



fionum omnium, si claromontanum librum et translationem Italiam excipias, auctoritate defenditur. Quid enim? omnes illi librarii et translatores auide arripuerunt haereticam lectionem? Sed aequae absurdae paene sunt pleraeque accusationes Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum aliorumque, quibus librorum sacrorum corruptio a catholicis crimini olim dabatur. Nam ipsae illae lectiones, quas ab haereticis confictas esse tradunt catholici, reperiuntur fere semper in scriptis patrum orthodoxorum, qui dudum ante exortas illas haereses vixerunt. Vt primum vero patres illi ecclesiastici quoddam scripturae dictum paullo aliter ab haeretico homine excitari audiebant, quam ipsi in suis codicibus scriptum id esse inuenirent, statim ab haereticis locum corruptum esse clamitabant. Equidem plerosque haereticos eatenus tantum in hoc negotio peccasse arbitror, ut e pluribus lectionibus eam cupide caeteris praesferrent, quae hypothese suae prae aliis quodammodo fauere, saltim minus ei obstare, videretur. Sed idem partium studium multis etiam catholicis doctoribus iure meritoque obiici potest, quippe qui, absque praenotio examine et posthabitis criticae artis praeceptis, eas lectiones e pluribus deligere, atque studiose defendere solebant, quas ad retundendos haereticorum errores omnium aptissimas esse opinabantur. Sed utrorumque peccata nonnihil excusationis habere mihi idcirco videntur, quia catholici plerique aequae ac haeretici criticae artis rudes erant. Hinc controuersias criticas fere nunquam ita ut fas erat, hoc est, secundum critices regulas, dirimunt, sed suborta de genuina lectione loci cuiusdam dubitatione aut contentione, statim vel inter dogmaticarum ratiuncularum praesidia se recipiunt, vel secure atque confidenter prouocant ad codicem suum, tametsi indolem eius atque pretium nunquam curiosius indagant. Ex hac rerum criticarum imperitia (quae semper fere coniuncta est cum nimia librorum, quibus adsueuimus, confidentia) exortae sunt mutuae



tuæ illæ suspiciones non inter catholicos solum et hæreticos, verum etiam inter latinos atque graecos. Scimus enim antiquitus moris fuisse latinis, vt graecos corruptorum librorum sacrorum insimularent, quamuis graeci lectionem sequerentur vel meliorem atque genuinam, vel saltim talem, cuius ortus facillime ex vulgaribus discrepantium lectionum fontibus deriuari posset. Quæ cum ita sint magna adhibenda est cautio (Sectio. I. §. 14.) ne decipiamur imperitorum hominum vociferationibus, qui suo libro vnice confidentes, ad vituperandos alios eosque fraudis et impietatis accusandos nunquam non proni sunt atque procliues. Mihi vero ne Marcion quidem, quem hæreticorum omnium petulantissimum sacri textus corruptorem fuisse ferunt, tam audax fuisse videtur, quam plerique, Tertulliani et Epiphaniæ declamationibus permoti, sibi persuadent. Quod enim ad euangelicum attinet codicem, nusquam me legere memini apud auctores idoneos, Euangelia Matthæi, Marci et Ioannis plane fuisse ab eo reiecta, quamuis Lucae Euangelio vti mallet. Cuius rei causa posita esse potuit in eo, quod hoc Euangelium prius forte innotuerit ipsi, quam caeterorum Euangelistarum commentarii. Si enim e quatuor illis libellis eum seligere voluisset, qui minus quam caeteri aperte opinionibus suis repugnaret, Ioannis Euangelium eum reliquis antepositurum fuisse crediderim. Vtcunque est, constat certe inter omnes, Euangelium Marcionis immane quantum discrepasse a genuinis Lucae exemplaribus. Nam multa non solum addiderat Marcion e caeteris Euangelis, sed haud pauca etiam refecerat. Grauiissime peccasse hominem, vltro largior; sed, vtrum codicis euangelici *corruptor* dici queat, id nondum extra omnem dubitationem mihi positum esse videtur. Nam centonem illum neutiquam *Lucae* euangelium esse aiebat, sed simpliciter *Euangelium* eum inscripserat. „Euangelio suo, inquit TERTULLIANVS *adv. Marc.* L. 4. c. 2. nullum adscribit auctorem, quasi non licuerit illi titulum quo-



que affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus euertere., Quo igitur iure Lucae Euangelium quaerimus in codice, cuius titulus nihil pollicetur aliud, quam narrationem quandam de rebus a Iesu Christo, dum inter homines viueret, gestis? Pleraque e Luca desumpsit quidem; cur vero omnia omnino, nullo excepto commate, transcribere e Luca debuerit, qui non Lucae Euangelium sed generatim Euangelium quoddam lectoribus sui codicis promittebat: id me non satis intelligere fateor. Nempe hoc Marcioni propositum fuisse videtur, vt ex Euangelistarum atque praesertim e Lucae commentariis concinnaret succinctam de munere, quo Christus publice functus erat, atque de vltimis factis eius narrationem, ita adornatam, vt inferuaret illorum hominum vsibus, qui quantum possent longissime a Iudaismo vniuerso discedere, eamque ob causam, neglectis Vet. Test. libris, solis discipulorum Christi scriptis vti vellent, et haec e philosophiae suae legibus interpretarentur. Talibus itaque lectoribus cum Euangelium *suum* destinaret, collegit ex Euangelistarum scriptis ea, quae huic hominum generi grata esse sciret, ommissis omnibus, quae lectoribus suis displicere potuissent. Igitur eodem fere modo, quo viri docti Simonem Magum e catalogo haereticorum expunxerunt, similiter Marcionem e corruptorum codicis euangelici numero eximendum esse puto. Solas itaque Pauli epistolas corrupit. Nam epistolam, quam Marcion in suo codice v. c. inscribat: *ad Romanos*, eandem esse venditabat, quam Paulus olim Romanis transmiserit; eamque ob causam toties eam corrupisse merito censetur, quoties textum eius consulto mutauit. Attamen Marcionis crimen, quod ad epistolas etiam, admodum exaggerasse videntur scriptores catholici. Multas enim lectiones, quas Marcioni solent crimini dare veteres auctores, nequiquam excogitauit homo, aut dedita opera eas in textum inuexit; sed enatae eae sunt e vulgaribus lectionum variantium causis. Quid? quod harum lectionum nonnullae in  
aliis



aliis etiam libris inueniuntur; aliae vero merae sunt minutiae, vix attentione nostra dignae. Vt summatim dicam, historia codicum Marcionis satis adhuc obscura est, et vltiorem doctorum virorum indagationem aequae desiderat, ac vniuersum dogmatum eius *συστημα*, quod ab aduersariis eius saepissime perperam intellectum esse videtur.

## | §. 8.

Ex eadem illa criticae artis imperitia, quam vanas illas de textu fraudulenter ab aliis deprauato, suspiciones peperisse diximus, originem etiam traxit nimia in transcribendis codicibus librorum sacrorum licentia, cuius aliquoties in transcursu mentionem iam iniecimus. Mirum quidem videri posset, eandem causam effectus produxisse toto genere inter se diuersos, effrenem scilicet in mutandis apostolorum verbis et formulis libertatem, atque nimis anxium syllabas quasque contra haereticos defendendi studium. Sed saepe fit, vt mutatis paulisper rei *περισσως*, ex eadem causa progignantur effectus plane contrarii. Quoties ab haereticis verba scripturae proferri audirent catholici paullo aliter, quam in suis libris extarent, suspiciosissimos se praebebant, tam in polemicis suis libellis, quam in exegeticis commentariis, in quibus quavis cupide arrepta occasione in locos communes et polemicos excursus delabi solent. Vbi vero nullas suspicabantur ab haereticis structas insidias, secure librum quemlibet non solum sequebantur, verum etiam in transcribendis codicibus litteras et syllabas omnes religiose conseruare parum curabant. Testantur de hac antiquiorum librariorum (h. e. hominum quorumcunque, qui codicem quendam descripserunt) licentia, monumenta omnia quae e tertio, quarto et quinto seculo supersunt, incredibili lectionum inter se discrepantium numero referta. Etenim innumerae inter has occurrunt lectiones, quae neque ex oculorum neque ex aurium errore oriri potuerunt, ne-



que e margine irrepserunt, neque e critici cuiusdam coniectura natae videntur, sed scribarum leuitati vnice debentur. Hi enim, cum feuerit criticorum praecepta ignorarent, et a summa, quae in rebus criticis obseruanda est, ἀκριβεια alieni essent, perinde esse putarunt, quamcunque vocem aut phrasin scriberent, dummodo sensus idem maneret atque integer. Si vero vnquam in Criticorum sese tradidissent disciplinam, intellexissent procul dubio, non eos tantum cauendos esse in describendis libris errores, qui interpreti negotium facessere queant, sed summa cura euitandas esse omnes omnino a genuina scriptione aberrationes, quamuis ad sensum nullius omnino esse videantur momenti. Cernitur autem licentiosa illa leuitas a) in mutato verborum ordine. Etenim in nullo fere Noui Test. versu eandem vocum seriem exhibent codices Msti, licet variantium lectionum collectores, excepto Wetstenio, hoc diuersitatis genus reticuerint. Interdum quidem de consulto mutatus videtur verborum ordo, vel εὐφωνίας et numeri gratia, vel vt structurae ambiguitas quaedam tolleretur. At saepenumero tamen nulla prorsus apparet inuersi ordinis causa, praeter librariorum leuitatem, qui nihil referre existimabant, quocunque ordine verba coniungerentur. Quam ob rem nec de cauendis aut corrigendis huiusmodi aberrationibus solliciti erant, sed perlecto integro textu commate, vtcunque in apographum suum id transferebant. b) Eadem libertate vsi sunt in varianda verborum constructione, tametsi nihil inde argumenti accederet orationis puritati, perspicuitati aut elegantiae. c) Neque minor fuit scribarum licentia in permutandis vocabulis synonymis. Saepe enim vocabulum, loco alterius cuiusdam in codicibus nonnullis vetustis positum, neque sensum efficit alium, neque significantius est aut elegantius, neque legentis audientisue aut dictantis errori adscribi potest, sed librarii incuriae debetur, cui perinde erat, quodcunque e synonymis pluribus poneret, modo sensum retineret integrum.



tegrum. d) Eidem incuriae tribuenda quoque est particularum et pronominum siue omissio, siue additio, siue permutatio. Mitto alia temeritatis documenta, vtpote non e defectu ἀκριβειας criticae, sed ex aliis causis profecta; velut studio-  
sas textus sacri emendationes atque διορθώσεις, (§. 3.) vel pericoparum siue sententiarum integrarum omissionem de industria factam, aut additionem; quod  
genus postremum tamen vix rarissime in epistolis paulinis inuenitur, sed histo-  
ricis libris fere peculiare est. Durauit haec, de qua loquimur, licentia inter grae-  
cos ad quintum vsque seculum; apud latinos vero aliquanto diuturnior fuisse vi-  
detur. Cessauit autem, quando

1) controuersiae, in dies auctae et a talibus aduersariis motae, qui ad sa-  
crarum litterarum effata crebro prouocarent, catholicis doctoribus occasionem  
praebuerunt, vt verbis scriptorum sacrorum pressius inhaerent, diligentius  
ea interpretarentur, et vndique dogmatum suorum praesidia conquirerent, ad-  
uersariorum autem argumenta, ipsis scripturae verbis saepe superstructa, con-  
uellerent. Cum enim de vocabulis et phrasibus in sacro codice occurrentibus  
earumque potestate saepissime disputandum esset, et pauca restarent apostolorum  
oracula, quin in hac illaue controuersia in numerum dictorum, vt aiunt, pro-  
bantium essent relata; intellexerunt plerique, haud perinde esse, quaenam voca-  
bula (licet significatione parum aut nihil differrent) in textu sacro legerentur.  
Ab hoc igitur tempore stabilior esse coepit textus ecclesiasticus.

2) Tam bella ista, iunctis viribus contra haereticos a catholicis gesta, quam  
aliae varii generis causae complures, effecerunt, vt arctiorem confociationem, inde  
a quarto seculo, inirent catholicae ecclesiae. Cum igitur non solum in Conciliis  
saepissime conuenirent diuersarum prouinciarum atque dioecesium episcopi, ve-  
rum etiam ad sedes patriarchales, Romam potissimum, atque Constantinopolin,  
saepe numero legati mitterentur ab ecclesiis aliis, accidit, vt, delatis vnus pro-  
uinciae codicibus in alias, pristina illa recensio, pro dioecesium discrimine,  
diuersitas sensim tolleretur, recensioes miscerentur; et textus magis redderetur  
vniformis. Alexandrini v. c. multas lectiones constantinopolitanas in libros suos  
receperunt, atque vicissim constantinopolitani haud paucas admiserunt in codices

N

suos



suos lectiones alexandrinās; quo factum est, ut vtriusque ecclesiae codices multo minus quam antea inter se discrepant. Ad hanc codicum consonantiam non nihil etiam contulisse videtur plerarumque ecclesiarum graecarum catholicarum imitandi Constantinopolitanum coetum studium. Ut enim omnia, quae e metropoli in prouincias deportantur, maxime placere solent prouincialibus hominibus, ita etiam Constantinopolitani codices, atque libri ex his transcripti, aliis praeferebantur et communis fere norma erant, ad quam librarii codices a se scribendos, eos praesertim, qui publicis ecclesiae cuiusdam vsibus destinari erant, conformarent. Negari certe non potest, codices iuniores plerisque multo magis consentire cum textu eo, quem in patribus et scriptoribus constantinopolitanis antiquioribus deprehendimus, quam cum alexandrina aut occidentali aut alia quacunque recensione vetustiori. Hic igitur constantinopolitanus textus vnanimi fere consensu a graecis ecclesiis receptus fuit, velut communis et ecclesiasticus catholicorum textus. Quam vero auide a multis expetitus hic fuerit, videre licet in antiquissimis codicibus haud paucis, v. c. regio parisino rescripto, claromontano, aliisque, in quibus saepissime primitiua scriptura (quae vetustas, alexandrinās aut occidentales, exhibebat lectiones) oblitterata, alia inducta est, consentiens cum iunioris illius s. constantinopolitanae recensione lectionibus, quamuis vtriusque lectionis idem paene esset sensus. Ex quo igitur status hic textus in auctoritate esse, ac tantum non pro sacrosancto haberi coepit, librarii religione sibi duxerunt, quidquam in eo mutare, multoque, quam antea, curatius eum transcripserunt atque propagarunt. Editionum typis excusarum exemplo haud inepte res illustrari potest. Seculo XVI diuersae editiones diuersas exhibebant recensiones. Aliam repraesentabat complutensis editio cum suis sequacibus, aliam Erasmica prima cum suis filiabus, aliam Colinaeana etc. Ex his omnibus eam quisque adhibebat, quam vel optimam esse censebat, vel eo in loco, vbi degebat, vsitatissimam esse videbat, vel casu nactus erat. Atque haud scio, annon editiones diuersae *pro locorum et regionum diuersitate* receptae fuerint; plane sicut olim, seculo III. IV. V. aliis in prouinciis aliae vsitatae erant recensiones. Vtuncque est, nulla editio sola et vbique regnabat, nec mirabatur quisquam lectiones aliarum editionum discrepantes ab eius editionis, cui adfuetus erat ipse, lectionibus. Hoc itaque tempore multi viri docti, qui nouas euulgabant editiones, magna in refingendo textu libertate vsi sunt, neque ex antiquioribus editionibus vnam elegerunt, quam accurate recudi curarent, sed textum recensuerunt ipsi, et ne a coniecturalibus quidem emendationibus prorsus abstinerunt. Postquam vero seculo XVII. editio Elseviriana variis de causis (licet leuissimis) ab omnibus fere esset recepta, non solum antiquiores illae editiones sepositae fuerunt, et vix in bibliothecis eruditorum atque criticorum asyllum inuenerunt, quod ab interitu tutas eas praestaret; (vbi  
seculo



seculo VIII. IX. seqq. ii codices, qui Sec. III. IV. scripti fuerant, abiciebantur, nec nisi rarissime, in usum paucorum hominum priuatorum, describebantur;) verum plerique etiam qui post Elseuirium curandis nouis editionibus praefuerunt, exemplar Elseuirianum vnice sequendum et religiosissime exprimendum esse putarunt, nec litterulam vllam mutare ausi sunt.

3) Quo plures conscribebantur commentarii, in quibus singula paene verba librorum sacrorum studiose explicabantur, eo facilius librarii intelligebant, haud perinde esse, quibusnam vocabulis et loquendi formulis sensus apostoli vtcunque exprimitur, sed ipsa etiam verba accurate esse retinenda. Cum praeterea posterioribus commentatoribus solenne esset, anteriorum serinia compilare, et interpretationes ab his prolatas repetere; accidit, vt plerorumque locorum interpretatio stata quasi esset atque definita. Stata vero interpretatio stabilem atque certum occupat textum.

4) Ex quo tempore libri sacri describebantur potissimum a monachis et virginibus sacris, exspiravit prisca illa in transcribendis codicibus licentia. Hoc enim superstitiosum hominum genus omnibus in rebus, praesertim in sacris, ἀκριβείαν affectare solet et λεπτολογεῖν amat. Permulti etiam vix intelligebant, quae scriberent, et pinxisse libros dicendi potius sunt, quam scripsisse. Hinc ad errores, ex incertitia oriundos, proni quidem erant; sed leuitas illa, quae novas fingit lectiones, verbis tantum, non sensu, ab antiqua differentes, crimini ipsis dari vix potest.

### §. 10.

Constitutum mihi quidem erat, potiora, quae de fati antiquiorum recensio-  
num generatim notanda sunt, hoc loco persequi; sed cum temporis iam premar  
angustia, paucissimis res expedienda, vberior autem declaratio in aliud tempus  
differenda est. I. Saeculo tertio ineunte diversae iam extabant recensio-  
nes, non Evangeliorum tantum, sed Epistolarum etiam. Nam codices, quibus usi sunt  
Clemens alex. Origenes, aliique post hos Alexandrini et Palaestineses, qua  
totum textus habitum vniuersamque eius conformationem, differebant a codicibus,  
e quibus facta est verus translatio latina. Quamvis enim horum discrepantia ab  
illis minor aliquanto esset, quam ab hodiernis codicibus impressis; tamen quoniam  
a) discrepantia non spectabat ad quorundam tantum locorum lectiones, sed ad tex-  
tum uniuersum; b) utrumque codicum genus per plura secula propagatum est;  
c) pro diversitate provinciarum seu dioecesium vel hoc vel illud genus usitatum  
erat: aliam recensio-  
nem his, aliam illis inesse decernimus. Ab utraque distincta  
erat constantinopolitana, siue ea, qua usus est Chrystostomus; propinquior quidem

N 2

alexan.




alexandrinae quam occidentali, sed magis tamen interpolata quam illa. Ad eandem hanc constantinopolitanam seu Chrysostomianam recensionem pertinere etiam videtur textus Theodoretii; attamen ex alia hujus recensionis manavit editio, eaque valde interpolata e codicibus, ut suspicor, Tatiani. II. Patet igitur, unamquamque fere provinciam maiorem, habuisse recensionem sive editionem sibi peculiarem. III. Varie commixtae sunt istae recensiones inde a tertio et quarto seculo, maxime tamen post seculum quintum. IV. Recensionis occidentalis codices rarius describebantur, eorumque lectiones (duriores plerumque) parcius in caeteras recensiones illatae sunt. V. Textus epistolarum hodiernus mixtus est e recensionibus omnibus. Basis ejus est recensio constantinopolitana, eiusdemque editio illa, qua usus est Theodoretus. Paullo propius tamen abest ab alexandrina, quam ab occidentali recensione. VI. Praeter illas, quas omnes recensiones passae sunt, ex aliis recensionibus interpolationes, quaelibet recensio deformata sensim fuit alio naeuorum genere, in hac ipsa recensione enato; nimirum a) glossematibus et interpretamentis, b) variis librariorum sphalmatibus. VII. Nullus hodie superest codex Mstus, qui recensionem quandam vetustam exhibeat puram, hoc est ita, uti primitus comparata erat; sed omnes *utroque* illo naeuorum genere scatent. Occidentalis tamen recensionis codices minus quam alii e caeteris recensionibus interpolati sunt, sed altero potissimum vitiorum genere laborant.

SPECIMINIS L


FINIS.























III. IX. seqq. ii codices, qui Sec. III. IV. scripti fuerant; abiciebantur, rarissime, in usum paucorum hominum priuatorum, describebantur;) ceterique etiam qui post Elseuirium curandis nouis editionibus praefue- templar Elseuirianum vnice sequendum et religiosissime exprimendum sunt, nec litterulam vllam mutare ausi sunt.

Quo plures conscribebantur commentarii, in quibus singula paene verba sacrorum studiose explicabantur, eo facilius librarii intelligebant, haud esse, quibusnam vocabulis et loquendi formulis sensus apostoli vtrunque ur, sed ipsa etiam verba accurate esse retinenda. Cum praeterea postea commentatoribus solenne esset, anteriorum serinia compilare, et in- tiones ab his prolatas repetere; accidit, vt plerorumque locorum inter- stata quasi esset atque definita. Stata vero interpretatio stabilem atque occupat textum.

Ex quo tempore libri sacri describebantur potissimum a monachis et vir- teris, exspiravit prae illa in transcribendis codicibus licentia. Hoc enim ofum hominum genus omnibus in rebus, praesertim in sacris, ἀκριβειάν solet et λεπτολογεῖν amat. Per multi etiam vix intelligebant, quae scri- et pinxisset dicendi potius sunt, quam scripsisset. Hinc ad errores, a oriundos, proueni quidem erant; sed leuitas illa, quae novas fingit lectio- nis tantum, non sensu, ab antiqua differentes, crimini ipsis dari vix potest.

36. 10.

stitutum mihi quidem erat, potiora, quae de fati antiquiorum recensio- neratim notanda sunt, hoc loco persequi; sed cum temporis iam premar paucissimis res expedienda, vberior autem declaratio in aliud tempus la est. I. Saeculo tertio ineunte diversae iam extabant recensio- norum tantum, sed Epistolarum etiam. Nam codices, quibus usi sunt alex. Origenes, alique post hos Alexandrini et Palaestineses, qua xtus habitum vniuersamque eius conformationem, differebant a codicibus, facta est verus translatio latina. Quamvis enim horum discrepantia ab or aliquanto esset, quam ab hodiernis codicibus impressis; tamen quoniam epantia non spectabat ad quorundam tantum locorum lectiones, sed ad tex- verfum; b) utrumque codicum genus per plura secula propagatum est; iversitate provinciarum seu dioecesium vel hoc vel illud genus usitatum am recensio- nem his, aliam illis inesse decernimus. Ab utraque distincta antinopolitana, siue ea, qua usus est Chrysofostomus; propinquior quidem alexan.

N 2

